


31

In obitum
PUERULI lectissimi
JOHANNIS EMMANUELIS,
VIRI Excellentissimi & Clarissimi
Dn. M. ERNESTI

Rönig
Gymnasii Thoruniensis
RECTORIS meritissimi

Et
Fœmme Ornatissime
BARBARÆ THOMASSIÆ
Filioli dulcissimi

Anno 1680. d. 12. Aprilis Sepulti:
Epicedia.



A N N O M. DC. LXXX.

PArce, Pater, lacrymis, qui gnati funera defles,
Ipse vetat nimium funera flere DEUS.
Qvem lugens, terris sublimior ille triumphat,
Atq; inter cœli gaudia lætus agit.
Aspicit æternum directo lumine Numen,
Ex ipso discit, discere quidquid aver.
Hunc etiam summo DEUS amplexatur amore
Atq; implet cunctis pectora læta Bonis.

Candol. & Consol. ergo adjecit

J. N.

Quis justas, afflicte Pater, neget esse querelas,
Quas misero gnati fata suprema movent?
At contra, quis frena truci laxare dolori
Svaserit, & pectus discruciare metu?
Prima pio pueri dum funere mergitur ætas,
Decedit nullis contemnerata malis:
Longius at miseros quod si produxerit annos,
Heu! quibus heu! quantus subjacet illa malis.
Nunc illam terrent, examina pallida, morbis;
Nunc bellatricis castra tremenda Deæ;
Nunc quem fallacis pronus favor extulit aulae
Heu! subito miserum præcipitare solet;
Mox furtiva manus congestum sustulit aurum;
Mox perit tumidis perdita classis aquis;
Nunc Pomona suos fructus, mox terra negavit,
Nunc ignis damnum, mox minitantur aquæ.
Et quos ingenii juvenes promittere fructus
Consvovere suis, heu! malè sæpe negant.
Sed fuerit quoq; vita bonis circumdata cunctis,
Cuncta tamen tandem mors truculenta rapit.

Qvam felix es, parve puer, terrisq; relictis
Qvam felix scandis regna beata poli!
Exulat hinc morbus; cessant hic castra Gradivi;
Hic est cura fides; perpetuatur amor;
Crimina nulla valent teneram corrumpere mentem;
Divinæ laudes semper ab ore fluunt
Hæc studio tandem mens inflammata videndi
Carcere dimitti corporis usq; flagrat.

L. M. F.

M. CHRISTOPHORUS Hartknoch / P. P.

Imeritur rursum Paradiso Flosculus, omni
Nobilior violâ, nobiliorq; rosâ.
Terrestri non tam pridem prognatus in agro,
Denatus superis jam viret ille plagis.
IMMANUELEst is, formâ præstante puellus,
Deliciæ atq; ardens IMMANUELE amor.
Purpureo Paphiæ censentur sanguine Divæ
Tingier, hortorum gloria prima, rosæ:
Unde suam decus, & svaves lucrentur odores,
Exhilarant Juvenes, exhilarantq; Senes.
Cedite Acidaliæ lectissima munera matris;
Flosculus hic vestras anteit unus opes.
Sanguine nam Christi tinctus magis ille superbit,
Pulcher & æterno fulget honore poli.
Coeliubus, Triadiq; Sacræ sic fundit odorem,
Gratior ut non sit totius Orbis odor.
Ergo mœste Pater, Mater mœstissima, fletu
Parcite, nec frangat pectora vestra dolor:
Flosculus hic vester stellanti vernat in horto:
Pascitur IMMANUEL IMMANUELE suo.

WENCESLAUS JOHANNIDES, P. P.

Sala-

Solamen Primogeniti Matris ad Eandem.

Primicias campi Cœlis quis debita nescit
Dona, quibus nullum charius esse solet?
Talia fuscipiunt & divite sæpè rependunt
Fœnore, sic damni commoda sentit ager.
Sic Tu primicias Mater Cœlestibus offers:
Florentem ut natis te cumulare velint.
Hoc est quod poterit mœstam recreare parentem:
Hoc lætum tristis funeris omen habe.
Nec me deploras quod paucò tempore vixi,
Si vixi paucò tempore, pauca tuli.

J. Rézik.

Nemo Pater vitio vertet Tibi, nemo homo, Lessum,
Iussa Tuo Gnato quando suprema facis.
Vivimus in natis in natis nosq; renasci
Hand vana reputo credulitate, Patres.
Aker-Ego, Gnatus, quando denascitur, ipsum
In Gnato Patrem me perisse puto:
Et non indoleam? Dum portio corde revulsa est
Corq; hiat ex alto vulnere, non doleam?
Qui plorare nequit, seu nescit, fata suorum,
Hic Patrem simul ac exuit hic haminem.
Ajo, dolere licet, licet & sua funera flere:
Ast dolor & fletus servet utrinq; modum.
MAGNE VIR, hausisti sacro hæc è Codice dudum,
Pluraq; mœrorem, quæ relevare queant:
Nota sed exemplo jam nobis exprime vivò,
Robore Teq; DE I perdoluisse doce.

Elias Friedhuber.

